

DISSERTATIONEM
DE
*AMBIGUIS PONTIFICUM ROMANO-
RUM DE LITTERARUM FLORE
PROMOVENDO MERITIS,*



Consentiente Ampl. Facultate Philosophica in Reg. Acad. Aboënsi,

PRÆSIDE

*M. HENRICO GABRIELE
PORTHAN,*

ELOQUENT. PROF. REG. ET ORD. R. ACAD. LITT. HUM. HIST.
ET ANTIQVITT. MEMBRO,

Publice PRO GRADU proponit

ANDREAS JOHANNES LAGUS,
WIBURGENSIS,

In Auditorio Majori d. 18 Junii 1795,

H. A. M. S.



ABOÆ, Typis FRENCKELLIANIS.

DISSERTATION

DE

AMBIGUIS PORTUENSIS ROMANO
RUM DE LITTERARUM FIGURE
PROMOVENDO MENTIS

Nos hæc novimus esse nihil.

MARP.

M. HENRICO GABRIELE
P O R T H A N I

PROFESSORIS REGII ET ORDINIS SACRI AUSTRIÆ
ET SARDINIÆ ACADEMIÆ

Titulus Regii Censuræ

ANDREAS JOHANNES LANGUS

AVUSTRIÆ

In Austriæ Metropoli die 23 Junii 1797.

M. M. P.



ADOLPHI, Typis Universitatis

Enke Fru Lectorskan
ANNA ELISABETTA
KRAJETTMAN,
Född
HEINTZIUS.

Min Vördada Mormor!

Idå Försynen beröfvade mig och mina Syskon en öm och dyrkad Moder, lämnades ojs likväl i Eder en Mormor, som sätter sin åra uti, at ersätta sin älskade Dotters ömhet emot ojs. En sådan lycka, skulle den väl kunna ihogkommas af Barn med känslor, utan at upväcka de ömaste rörelser? Nej, min Vördade Mormor, Eder huldhet har varit för stor, för at kallt af ojs kunna påtänkas: och jag blyges ej, at bekänna, det minnet där af ofta framlockat mina tårar. Uprörd vid åtanckan af Edra välgärningar, nyttjar jag därför glad detta tillfälle, at offentligen betyga Eder min erkänsla. Detta tacksamhets nit kan af Eder ej mistyckas, och Jkunnan ej neka mig det nöjet, at med Edert Namn få pryda dessa blad.

Mätte den Högfte intil den sednaste ålderdom gifva Eder Ungdomens hälsa och munterhet! Och mätte jag sent, — ja sent! — sakna föremålet för den djupa vördnad, hvarmed jag har åran at vara

Min Vördade Mormors

lydigste Dotterson
AND, JOH. LAGUS.

Spectatae in Regem fidei Viro,

Domino Assesori

GABRIELI FRIDERICO
K. R. A. E. T. M. A. N.,

Avunculo Optimo!

Fantus Tuus, Avuncule Optime, in me semper fuit favor, tantaque benignitas, ut illa complecti dicendo, ne dicam assequi rependendo, omnino nequeam. Cum igitur nihil Tibi reddere possim; ne nihil quoque voluisse videar, permittas, quaeso, ut in pignus animi gratissimi bocce Tibi consecrem opusculum. Vota pro incolumitate Tua votis neclere, dum spiritus hos reget artus non desistam, ad cineres usque permanisurus

Nominis Tui

cultor devotissimus
AND. JOH. LAGUS.



§. I.

Mirari sane non uno nomine convenit, fieri potuisse, ut Papæ Romani de litterarum flore promovendo solliciti fuerint, atque ad illas excitan- das, adjuvandas, propagandas non parum contulerint; quod de nonnullis eorum tamen haud dubie constat.

Notum enim cuique est, superstitione atque ignorantia hominum potestatem ipsorum (olim immensam, hodie vehementer imminutam) imprimis niti; ac quatuor præcipue quasi fulcris sustineri: Inquisitionis puta tribunali, (adjunctisque librorum lectu prohibitorum Indicibus), Philosophiæ Scholasticæ trices, Monachorum Fanaticismo (qui non minus strenui sunt auctoritatis Papalis, quam reliquæ superstitionis propugnatores), & doctrinæ denique Christianæ corruptela. Quibus omnibus nullus potest, litterarum luce formidolosior, hostis contingere. Quocirca nihil Pontificibus esse prius, antiquius nihil debuisse videtur, quam ut omnes disciplinas, rationi excolendæ & illustrandæ aptas, a ditione sua quam longissime removerent atque arcerent, tenebrarumque custodiam

A su-

fufciperent diligentiffimam. Cui fini attingendæ summæ ipsis videri debuit neceffitatis, id agere, ut ratione fua in rebus perfcrutandis, ad vitam humanam juraque ejus pertinentibus, uti numquam auferent Laici; quin potius, cæcam amantes caliginem, omnia quæcumque Ecclefiæ, h. e. Patriarchæ Romano, ftatuere placeret atque fancire, oraculorum inftar venerarentur & colerent: præcipue vero, ut in illorum, quæ ad Religionem fpectant, cognitione, vel unguem latum a præfcriptis formulis recedere, aut ultra progredi, cane pejus & angue mortales ab infulatorum choro remoti fugerent. Quibus cancellis quomodo fefturpiter includi patietur ratio humana, nifi ejus debilitandi & opprimendi mature fiat initium? Nec igitur in eo confilio exfequendo fegnes fuiſſe Pontifices Romanos, fed cœcæ hujusmodi docilitati augendæ tenebrisque propagandis, haud fine profpero conatum fuorum fuffeſſu, curam navaffe, abunde teftatum facit vel hodierni temporis Hiftoria; quæ nempe docet, caligine eo craffiori laborare Romano-Catholicos, quo fubmiſſius ſceptro Paparum ſemet regi paſſi ſunt, & quo longiori temporis locorumque intervallo a commercio cum Proteftantibus, quos dicunt, remoti fuerunt. Ac quis non ftupeat, videns quam ingens in litteris luceque excultæ rationis diſcrimen obveniat inter multas regiones Germaniæ, etiam vicinas, vel Romano-Catholicæ vel Proteftantium religioni addictas? Sed define-
mus mirari, ſi reputemus, Indices Pontificiorum prohi-

hibitorios ex studiosorum manibus excutere libros, in unaquaque fere scientia optimos atque utilissimos: censuramque severissimam & timorem persecutionum, catenis quasi adamantinis ingenia a veritate indaganda prohibere: nec ullum fere apud illos majus censeretur peccatum, quam si ad illa, quæ Religionem sanio-remque Philosophiam spectant, acies mentis diligenter libereque advertatur. Deplorandum literarum ingenuarum liberaliorisque doctrinæ in regnis Portugalliæ atque Hispaniæ statum, omnes norunt; foedissimumque quod unquam excogitavit callida sævitia inventum, Inquisitionis nempe Tribunalia, quorum tyrannide adhuc incolæ opprimuntur, manifesto est indicio, nihil Papis esse ingratius, quam ingeniorum perspicaciam & libertatem. Hujusmodi autem odia in bonas literas ingenuosque illarum cultores, ab antiquioribus jam temporibus Pontifices exercuisse, ex multis apparet documentis. Tempora, quibus pro capitibus Ecclesiæ nondum habiti sunt, præterimus. Tacemus, exempli gratia, *Gregorii* (qui *Magni* nomen, non sane ex lucis artiumque ingenuarum amore, invenit) in litteras odium; quod eo usque processisse fertur, ut Bibliothecam, quæ ab Imperatoribus Romanis collecta in Templo Apollinis, vel Palatini vel Capitolini servabatur, flammis absumi curaverit (a). Vitio nempe infelici-

A 2

um

(a) Narrat JOHANNES SARESBERIENSIS, in laudem Gregorii rem trahens, (Vid. Ejus *Policraticus* s. *de nugis Curialium* Lib. II. Cap. XXVI, & Lib. VIII, Cap. XIX,

❖) 4 (❖

um illorum temporum, animum plerique gerebant
Christianorum Doctores in Gentilium literas, quas
secu-

„Ed. Lugd. Bat. a. 1639 p. 123 & 646) ” Doctor, inquit, fan-
„ctissimus ille Gregorius, qui melleo prædicationis im-
„bre totam rigavit & inebriavit ecclesiam, non modo Ma-
„thæsin jusfit ab aula recedere, sed *ut traditur a ma-*
„*ioribus*, incendio dedit probatæ læsionis”

”Scripta, Palatinus quæcumque tenebat Apollo”.

Et rursus: ”*Fertur* beatus Gregorius Bibliothecam combus-
„sisse gentilem, quo divinæ paginæ gratior esset locus, &
„major auctoritas & diligentia studiosior”. Quam narratio-
nem, licet dubiæ fidei videatur Domino BAYLE (*Dict. Hist.*
„*& Crit. Art. Gregoire I*), nec nisi fama vulgari niti ab ipso
JOHANNE SARESB. significetur, tamen neque improba-
bilem, neque ab ingenio & moribus Gregorii esse alienam,
recte pronuntiat Cel. SCHROECKH (*Christl. Kirchengesch.* XVI. Th. pag. 59; cf. pag. 65. sq.). Inimicum vero
Gregorii in humaniores litteras animum, ex epistola sua
ad Desiderium Episc. Viennensem, l. c. not. (M), lucu-
lenter idem probat D:n BAYLE: cfr. quæ habet ib. not.
(N) de fama destructorum ab eodem Gregorio, ex fana-
tica superstitione, artis veteris monumentorum; quæ nec
ipsa verisimilitudine caret. Verba hæc sua *Epist. ad*
Leandrum in Comment. Lib. Job, ingenium hominis satis
depingunt: “Unde & ipsam *artem loquendi*, quam magi-
„steria disciplinæ exterioris imluant, *servare despexi*.
„Nam sicut quoque hujus epistolæ tenor enuntiat, non me-
„tacrismi collisionem fugio, *non barbarismi confusionem de-*
„*vito: situs motusque præpositionum casusque servare con-*
„*temno*” (Egregia sane gloriandi materies!) “*Quia indig-*
„*num vehementer existimo, ut verba cælestis Oraculi re-*
„*stringantur sub regulis Donati*”. Recte autem ob-

seculares (profanas) vocabant & sapientiam *secularem*, minus benignum. Cujus rei veritatem, si plura in promptu non essent testimonia (b), vel *Hieronymi* exemplum (cui nemo inter doctissimos ævi sui viros locum facile denegabit) extra dubium ponit; qui vel delirio vel somnio illi famoso fidem facere velle non erubuit, quo verberibus semet cæsum coram tribunali Dei, ob studium *Ciceronis* scriptis tributum perhibet. *Epist. XXII. ad Eustochium.*

§. II.

Sed multa præterea existant documenta, quæ curam demonstrant, quam Papæ Romani, post partum validius in ecclesias occidentales imperium, ad tenebras fovendas lucisque impediendam propagationem adhibuerunt. Cum sub mediæ ævi barbarie, vix ulli essent

servat Cel. SCHROECKH l. c. pag. 67. sq. culturam gentilium, multiplici nomine, summo ului rei Christianæ fuisse, & ex contra eorum scholis oppresis, gravia ad hanc damna redundasse.

(b) Nec causam hujus odii difficile est reperire: partim ex religionis cultusque ethnici cum literis gentilium nexu, inter quæ debitum facere discrimen indocti primum Christianorum antistites nesciebant; partim ex vibratis contra doctrinam Christianam, ab adversariis suis, ex ipso illo literarum armamentario telis, repetendi. Postquam vero viri scientiarum peritiores ad Ecclesiam Christianam transissent, ex eodem armamentario ad hostium gladios retundendos apta desumi posse arma viderunt, & tela depromi ad illos debellandos idonea: quare multi doctores.

essent alii qui literas tractarent, quam Clerici; a Laicorum pro ea dispellenda moliminibus, parum fuit timendum. Sed ne Clericis quidem, plurimas licet ob causas sibi addictissimis, libertatem nisi valde arctis circumscriptam limitibus, cum periculosis his conversandi hostibus, Pontifices permittere consultum putabant. Itaque a. 1228 *Gregorius IX* ad Parisienses scripsit, ut Theologia (secundum præscriptam formulam) *sine fermento mundanæ scientiæ doceretur* (a). Ac cum Jus Civile reviviscere cœpisset, juribus Pon-

Christiani, necessitatem & usum literarum diligentius colendarum intelligere cœperunt. (Cfr. ex. gr. quæ pro commendanda Doctori Christiano Rhetorica facultate sapienter disputat AUGUSTINUS (*de Doctr. Christ. Lib. IV. C. 2.*) Donec barbaries atque superstitio undique ingruens, rursus tenebris patronos compararet. Ex quibus omnibus patet, quam inique ipsi doctrinæ Christianæ, hostes ejus, odium bonarum literarum objectare conati sint: quod crimen & exemplis suis & rationibus ita diluerunt Theologi cordatiores, recentioris imprimis ævi, ut nemo sanus calumniam illam hodie non rideat.

(a) Meminit hujus Bullæ etiam Dn. CREVIER (*Hist. de l'Université de Paris* T. I. L. II. pag. 314), atque oppositam fuisse primis Philosophiæ Aristotelicæ, in illa Academia emergere incipientis, docet conatibus; cujus affectæ, ut verba sua jacent, "alteroient au moins en partie la pureté du dogme Chretien par des interpretations plus conformes aux principes d'Aristote, qu'à la Tradition des Peres. C'est ce qui attira en 1228 aux Theologiens de Paris une Bulle fuminante & Gregoire IX, qui taxe cette conduite de *presomtion et d'arro-*

tificum prætenſis arreptæque poteſtati nequaquam favens, ad ſtudium ejus impediendum atque opprimendum, omnem conferebant diligentiam. Sic Parisiis (ubi florentiſſima tum fuit totius orbis Europæi Academia) illud docere penitus vetuit *Honorius III.* Audiamus ipſum ore tonantem: „Firmiter, „inquit, interdiciamus & diſtriſtius inhihemus, ne Parisiis „vel in Civitatibus vel aliis locis vicinis quiſquam „docere vel audire Jus Civile præſumat. Et qui contra fecerit, non ſolum a cauſſarum patrociniſo excludatur, verum etiam per Episcopum loci excommunicationis vinculo innodetur” (b). Quod in literis quoque ad ArchiEpiscopos & Episcopos Eccleſiæ Svecanæ a. 1219 datis, inculcat; quibus poſtquam laudaffet Studium Theologicum Pariſienſe, in quo Jus Civile doceri prohibitum eſſe ſignificaverat, diligentem noſtris commendavit inſpectionem, *ne ſecularium doctrinæ civiles & jura in iſtis & vicinis ſtudiis*

„gance, et qui blame fortement et interdit par toute ſon „autorité ce mélange des opinions Philoſophiques avec la „doctrine celeſte”.

(b) Vide *CONRINGII Antiquitt. Acad. Diſſ. III. §. XVIII.* p. 38. Qui palliare cauſſam hujus prohibitionis ſtudet CREVIER l. c. l. I. p. 247. ſq. ſatis tamen ſentiendam præbet, dicens: „Cette etude (Juris Civilis) ſ’acredita au point „d’allarmer le Souverain Pontife et les Eveques, et de „leur faire craindre, que celles qui avoient un raport direct à la Religion, c’eſt-à-dire le droit Canon et la Theologie, ne fuſſent abandonnées”.

diis (scholis) tradentur (c). Inprimis autem solliciti Papæ fuerunt, ut Clerici in hos laqueos non incidere-
rent, ac vel Juris Civilis, vel aliarum *mundanarum*
Scientiarum amore capti, ab obsequio suo abduceren-
tur. Quam rem egregie illustrat Bulla *Honorii IV*
a. 1285. l. 1288. data, quæ "Monachos etiam jubet ex-
"communicandos esse, qui ultra duos menses e clau-
"stro evagantur, quia, ut in ipsa Bulla habetur, *Theo-*
logiæ studium non cupimus ampliari, ut dilatato tentorii
sui loco, funiculos suos faciat longiores. Immo ex-
"communicationi sine appellatione eos esse subjicien-
"dos ex Archidiaconis, Diaconis, Præpositis, Plebanis,
"Cantoribus & aliis Clericis, qui non infra spatium
"præscriptum desistant a *noxio scientiarum pedissequarum*
studio. Nulli denique Clerico licitum, Parisiis, vel
"in Civitatibus vicinis, aliisque locis, *docere vel audire*
Jus Civile, nisi excommunicationis vinculis innodari
velit" (*d*). Talia fulmina certe non potuerunt, quin
animos terrerent eruditorum, & omnem ardorem at-
que impetum in literis aliquid præstandi cohiberent
plane atque exstinguerent.

Non jam necesse est, ut quæ recentioribus tem-
poribus, inprimis post reformationem religionis ten-
tatam, fundamentaque potentia Papalis, argumentis
cum

(*c*) Vid. *ACELSE Appar. ad Historiam SveoGothicam*
Sect. I. §. XXXIV. pag. 57. ubi hujus Bullæ recensio ha-
betur.

(*d*) Vid. *ACELSE* l. c. §. XLIV. p. 93.

cum ex S. Scriptura, tum ex sana ratione petitis quas-
fata, pro regno tenebrarum tuendo ac stabiliendo Pa-
pæ Romani moliti sint, diligentius perfequamur; libro
ingenti materiem præbitura. Quo pertinent jugum
per severam librorum edendorum Censuram ingeniis
impositum, prohibita lectio scriptorum quos Hæreti-
cis annumerarunt Indicibusque (e) talium librorum
editis constricta, terror per Inquisitionis religiosæ
tyrannidem animis incussus, persecucionesque sævæ
quas viri liberius cogitantes subierunt, zelus Mona-
chorum, summo Pontificum favore adjutorum (f),
diligentia eorundem Monachorum atque maxime *Jesu-
uitarum* in juventutis institutione suæ curæ vindican-
da, eaque sic regenda, ut vires rationis mature debi-
litarentur & opprimerentur (g) aliaque similia consilia

B

at-

(e) Cfr. de his *JUGLERI Biblioth. Hist. Liter.* T. III.
C. IX.

(f) Exemplo potest esse favor Monachis mendicantibus in
longa & gravi lite inter hos & Universitatem Parisiensem
agitata, a Papis demonstratus. Cfr. *CREVIER* l. c. p.
389. lqq.

(g) Callidas Jesuitarum hoc in negotio artes, longum foret
exponere. Quorum, ut & reliquorum Monachorum, ex-
ercitia sic dicta pietatis, ad alas rationis atterendas, ne
evolare posset, apprime comparata fuerunt. Quam corrup-
tum Jesuitarum fuerit consilium in humaniorum literarum
præceptione instruenda, nemo nescit. Et licet merita sua,
cum in his, tum in aliis literis urgendis, neque ipsi neque
amici sui celebrare neglexerint; tamen parum iis has vere
debere, certum est. Eas diciplinas, quæ Hierarchiæ mi-

atque instituta plurima. Exempla atque documenta scriptores itinerum per terras Romano-Catholicæ ad dictas Religioni (maxime per homines Protestantés, qui & volunt & audent rem libere proferre) susceptorum tristissima & turpissima, interdum etiam perridicula, dabunt affatim; adeo ut opus non sit, in re notissima pluribus morari. Vel unum summi *Galilæi* exemplum nominasse suffecerit: in quem exercita, ob demonstratum tenebrarum expellendarum studium, tyran-

nus periculosæ videbantur (v. g. Mathematicas) non negamus diligenter tractasse; quamvis neque harum auctarum maxima laus iis debeat. Sed quæ sunt eorum de Philosophia vel Theoretica vel Morali merita? Quanta in Historicis fides & libertas ab iis demonstrata? De Theologia ne attinet quidem loqui. Scholasticarum triearum turpissimarum vehementes semper fuisse patronos, neminem latet. Quod de *Syris Nestorianis*, literarum ad Populos Asianos Septentrionales & Orientales multos propagatoribus pronuntiat Cel. HERDER, egregie in Monachos quoque occidentales quadrat: „In keine der Wissenschaften, die sie bearbeitet, haben sie Erfindungsgeist gebracht, keine derselben mit Eigenthümlichkeit behandelt. Ein trauriger Erweis, wie wenig der Asehetisch-Polemische Mönchsgeist, bei aller Politischen Klugheit leiste. In allen Welttheilen hat er sich in dieser unfruchtbaren Gestalt gezeigt, und herrscht noch auf den Tibetanischen Bergen, wo man bei aller gesetzlichen Pfaffenordnung auch keine Spur eines freien erfindenden Genius antrifft. Was aus dem Kloster kommt, gehöret auch meistens nur für Klöster“. *Ideen zur Philosophie der Gesch. der Menschheit* IV. Th. p. 80 sq.

rannis, nemini non potest indignationem excitare. Sed neque multo recentiora defunt suspiciosa ejusdem & tenebrosae prudentiae documenta, iis maxime formidandae, qui Scholasticae doctrinae sordes nauseantes, saniora nobilioraque ausi fuerint iis substituere.

§. III.

Quomodo igitur cum his conciliare ea licebit, quae de favore multorum Paparum in literas, consilia de flore literarum promovendo ab iis suscepta, meritaque in illas excitatas, fotas & adjutas haud vulgaris, traduntur, laudesque quas illis tribuendas esse, hoc nomine, Historia Literaria ac consentientia viro- rum eruditorum, etiam Protestantium, testimonia docent? Nempe seculis ipsis mediis aevi barbaris de literarum cognitione propaganda, deque Scholis erigendis ac privilegiorum immunitatumque ornamento mun- iendis, curam insignem gesserunt. Plurimas etiam ab ipsis Academias stabilitas, Bibliothecas conditas, multos doctos viros beneficiis cumulatos & ad sum- mas in Ecclesia dignitates evectos fuisse, constat (h). Quibus rebus immortalem sibi haud pauci Pontifices nominis famam pepererunt. Sic *Gerbertum*, sive Pa- pam *Sylvestrum II.* inter praecipuos fuisse auctores li- terarum suo aevio excitandarum, in confesso est. Ad

B 2 lau-

(h) Academias tantum non omnes ante Sec. XVI. in Europa conditas, non sine Pontificum Romanorum nutu fuisse cre- ctas, vel erigi potuisse, res ipsa docet.

laudem *Clementis IV* novisse sufficit, ipsum *Rogerii Baconis* contra conspirantis ad eum opprimendum superstitionis & invidiæ sævitiam, insignem fuisse defensorem atque Patronum. *Clementis V* nomen, præter alios ab ipso factos ad tenebras ignorantiae pellendas conatus, vel Bulla ipsius, qua a. 1311 jussit Linguas Orientales, Hebraicam nempe, Arabicam & Chaldaicam, in Scholis publice doceri, illustrat. *Nicolai V* in renascentes adjuvandas literas prorsus eximia fuisse merita, nemo ignorat; a quo viros doctissimos & patrocínio fotos diligentiamque eorum præmiis excitatam, & homines idoneos ad libros maximis impensis coëmendos per varias terræ partes missos, indeque pretiosissimis voluminibus Bibliothecam Vaticanam fuisse ditatam, scimus: quique eo usque liberalitatis in pretio libris statuendo processit, ut 5000 Ducatos cuicumque qui Matthæi Evangelium Hebraicum tradere sibi valeret, pollicitus sit (i). *Leo X* tantus fuit literarum Patronus, ut ab ipso nomen tertio illarum seculo aureo dare, non dubitaverit illustr. **DE VOLTAIRE.** Ac longum foret omnes celebrare Pontifices, qui in societatem hujus laudis venerunt: qua magis minusve, præter eos, quos jam nominavimus, dignos se reddiderunt, *Benedictus VIII, Clemens II, Innocentius III, Honorius III, Gregorius IX, Innocentius IV, Alexander IV, Gregorius X, Innocentius*

(i) *FABRICII Abriss einer allgem. Hist. der Gelehrsamkeit*
II, B. §, 232. pag. 885.

tius V, Johannes XXI, Nicolaus III, Nicolaus IV, Cœlestinus V, Benedictus XI, Johannes XXII, Benedictus XII, Clemens VI, Innocentius VI, Urbanus V, Gregorius XI, Urbanus VI, Gregorius XII, Alexander V, Johannes XXIII, Martinus V, Eugenius IV, Callistus III, Pius II, Sixtus IV, Innocentius VIII, Hadrianus VI, Paullus III, Marcellus II, Paullus IV, Pius V, Gregorius XIII, Sixtus V, Urbanus VII, Gregorius XIV, Innocentius IX, Clemens VIII, Urbanus VIII, Innocentius X, Alexander VII, Innocentius XI & XII, Clemens XI, Innocentius XIII, Benedictus XIII, Clemens XII, Benedictus XIV. Quorum multi, ex eruditorum ordine ad summum dignitatis fastigium eVecti, literas ipsi diligenter antea coluerant.

Nec Patriam nostram omni destitui materia, curam Paparum de re sua literaria fovenda laudandi, eadem docet Bulla *Honorii III* ad Archiep., Episcopos, Prælatos & Capitula regni Sveciæ, a. 1219 missa, de qua supra commemoravimus; qua præcipit, ut *secundum statutum Concilii Generalis* in singulis Capitulis esset Theologiæ Magister, vel Doctor & Professor Præbendatus. (Illos enim qui e Clericis more hujus ævi *Personæ* salutabantur, vel qui, ut verba Bullæ habent, *Personatu gaudebant*, Papa graduatos cupiebat (k)). Clericum vero, *qui per quinquennium in*
The-

(k) *Doctores* tamen *Theologiæ* non multi, his temporibus, in monumentis Historiæ Patriæ occurrunt. *Magistrorum* vero *Philosophiæ* satis magnus obvenit numerus,

*Theologico studio diligenter versatus fuerit; præbendam bonam exspectare jussit (l). Exstat præterea Bulla Innocentii IV, qua Scholam Upsaliensem confirmat (m), duæque Martini V, quarum altera (n) Erico Regi facultas datur erigendæ Academiæ, vel Studii generalis, ad Capitulum aliquod in regnis suis (inter quæ Svecia etiam erat), altera (o) Scholæ Stockholmiensi favorabile admodum privilegium conceditur. Sixti denique IV Bulla a. 1476 Ups. Archiepiscopo Jacobo Ulphonis veniam largitur Academiæ Upsaliæ condendi, ipsamque iisdem, quibus Bononiensis utebatur, privilegiis ornat (p). Fennicas etiam Scholas favori Hierarchy aliquid debere, literæ docent a Dn. Præsidente Annot. ad *JUSTENI Chronicon Episcoporum Finlandensium* p. 427 not. commemoratæ.*

§. IV.

Hæc autem jam exhibita in literas benignitas, quæ supra disputatis (§. 1. & 2.) adversari primo intuitu videtur; re curatius pensitata cum iis haud pugnare reperietur. Nempe *primo* literarum quædam genera, tantum abest ut detrimentum afferre rationibus dominationis Pontificiæ potuerint, ut ipsa consilio suo pror-

(l) *A CELSE* l. c. pag. 57.

(m) *A CELSE* l. c. pag. 74.

(n) *A CELSE* l. c. p. 171.

(o) *A CELSE* l. c.

(p) *A CELSE* l. c. pag. 204.

prorsus esse, Anstites Romani aperte viderent. Nonnullæ videlicet literæ ejus sunt indolis, ut illarum cognitione carere, vel sacerdotes in muneribus suis administrandis, vel doctores in doctrina Ecclesiæ proponenda, confirmanda & defendenda, minime possint. Quales sunt, præter quaecumque Latinæ linguæ studium, ac legendi, scribendi, numerandique aliquam peritiam, Theologiæ receptæ placita, Juris Canonici prudentia, & Antiquitatis Ecclesiasticæ quædam cognitio. Has itaque literas pro ingenio temporum promovere, iis urgendis Monasteria & Scholas instituire, homines iis præstantes præmiis ornare, eosque ad munera eminentiora evehere ac iis impense favere, res ipsa jussit. Dominatio quæ tota opinionibus & doctrinæ furore nitebatur, ingenii quadam sagacitate, sed suo consilio adaptata, in Ministris atque satellitibus suis, ad vim suam corroborandam egebat. Cumque cavere non potuisset, (inprimis, postquam ex nimia successus quo hætenus Hierarchia usa fuerat, confidentia, rationi humanæ libertas major permessa fuisset, quam ut tam formidolosus hostis compesci deinde satis ubique accurate posset) ne inimici contra eam hic & illic molesti exurgerent; ad ipsos debellandos, errores veteres incrustandos, & facum ingeniis faciendum, doctioribus opus fuit propugnatoribus, atque ipsa luce ad tenebras defendendas abuti conari, necessitas subegit. Hinc linguarum Græcæ & Hebræicæ cognitio amplior, ad sacras literas interpretandas

das (a), Auctoresque ecclesiasticos explicandos, necessaria evasit; eruditis & acutis adversariis arma potentiora opponenda erant, quorum ipso splendore oculos hominum præstringere, consultum videbatur. Quam igitur in literas promovendas impendisse curam Pontifices videntur, eam non ad vires ingenii humani in genere augendas, aut lucem toti mortali-um generi, quantum fieri posset, accendendam contulisse, sed ad Cleri tantum, ministrorum atque satellitum suorum, pro Ecclesiæ (h. e. suo) usu, mentes excitandas, acuendas & illustrandas adhibuisse, existimandi sunt. Quod latius se usus illorum postea extendit, id præter auctorum consilium evenit. In Monasteriis igitur & ad Ecclesias Cathedrales Scholæ omnes præcipue condebantur. Ad Laicorum rationes consilia sua Hierarchæ parum referebant. Ut Clerici doctrina præ Laicis eminenter atque ad hoc imperio suo (h. e. Papæ) subjiciendos subjectosque retinendos magis callidi potentioresque evaderent, sum-

(a) In ipsa tamen S. Biblia illustranda haud maximos sumtus aut curam Papas impendisse, scimus; si versionum Vulgatæ & Septuaginta viris is quasdam editiones exceperis. Quam Cardin *Ximenes* & *Philippus II* Hispan. Rex, in splendidas editiones polyglottas Pandectarum sacrarum procurandas, munificentiam exhibuerunt; eam æmulari vel etiam imitari velle, hi Christianæ Reipublicæ (ut videri volunt) Principes consultum non duxerunt. Nec criticum *Millii*, *Wetstenii*, *Kennicotti*, *Roffii* etc. zelum apud eos quæras. Etc.

summo contra curarunt studio (b). Videmus itaque ipsos, scientiarum lumen intra sacerdotum Monachorumque globos includere, Laicis vero spissam offundere nubem, pro virili fuisse conatos. Omnia fere, quæ pro literis promovendis susceperunt consilia & molimina huc spectasse, non est difficile ad reperendum. Sic Scholas & Academias a Papis nonnisi hoc consilio fuisse vel conditas vel ornatas & protectas, quisque animadvertit; ob quam igitur rem multo sane minorem, quam primo intuitu videri poterat, laudem merentur. Totas ad hanc rationem fuisse illas comparatas, ac non alias facile literas attigisse, vel attingere ausas fuisse, quam quæ huc pertinerent, gubernationi & inspectioni Prælatorum Ecclesiæ severe fuisse subjectas, & plane ad instituta Ecclesiastica relatas, apertum est (c). Ipse igitur ille in Pri-

C

vilegiis

(b) Simili elatum arrogantia olim Capitulum Aboënse, capti consilii Actorum suorum scripto deinceps mandandorum hanc rationem affert: *ne Layci rudes - - - negocia sua sollicitissime conscribentes, viris ecclesiasticis illuminatis, & laycis merito exemplaribus, in hoc appareant quomodolibet prærogari.* Vid. *Dni. Præsidis Annot. ad Cbröp. PAULI JUUSTEN*, l. c. p. 559. Not. Egregie de mediæ ævi eruditione dicit Cel. *HERDER* l. c. IV. Th. p. 233. "Die „Wissenschaften waren nicht sowhol im Staat, als in der „Kirche. Was diese wollte, ward gelehrt und allenfalls geschrieben: aus Mönchschulen ging alles aus, eine Mönchskendart herrscht also auch in den wenigen producten des „Geistes die damals erschienen".

(c) Doctoris quoque in illis munus initio non facile ad ali-

vilegiis liberaliter iis concedendis, dignitateque illarum ornanda ac tuenda, demonstratus favor; callidam prodit Paparum curam suo illas imperio jugoque submittendi, suaque quasi sub tutela perpetua rationem humanam, ne adolescere unquam posset, retinendi (*d*). Ac vel hodie in ipsis Academiis Protestantium, (sive veterem servantibus formam, sive ad illam constitutis) vestigia domini ecclesiastici haud obscura manent: quo etiam ordinem Facultatum (qui

os, quam Monachos ac Sacerdotes deferebatur: ac postea etiam Monachi & Jesuitæ Cathedras Academiarum occupare, faventibus vehementer sibi Papis, acriter studuerunt. Effectus omnium horum consiliorum fuit, ut regnum tenebrarum in plerisque Academiis Papatibus inconcussum permaneret; & qui ad literas provehendas viri Religioni Romano-Catholicæ addicti contulerunt, extra Academiis fere vixerunt, & imprimis ex scriptis Protestantium sapere didicerunt. Neque ullo modo Academiarum (Universitatum) Pontificiarum de scientiis merita cum Protestantium illis possunt comparari: eaque adhuc essent multo minoræ, nisi cum his illæ quodammodo æmulari, quæ radios lucis ex illis dispersos occultare suis non valuerunt, sibi necessarium duxissent. Hispaniæ etc. exemplum rursus asfertis nostris fidem facit.

(*d*) Egrege de Monarchia Papali mediæ ævi, illustris noster dicit Orator ac Philosophus: "*Det lilla ljus den tillåt at spridas, var den enda lindring man ertor i det onda. Denna magt bibehöll dock den väsentligaste delen af mörkret, för at befästa sin eget välde. Okunnighet och förvillelse voro både uphof och stöd för det onda i hela dess vidd. Dess ahjelpende borde derföre kom-*

ultimum locum Philosophicæ, utpote Hierarchis maxime suspectæ atque timendæ, assignat), non injuria refert HEUMANNUS, causasque addit: vid. Ejus *Consp. Reip. Liter.* C. IV. §. 36, ubi plura hanc rem egregie illustrantia habentur, inprimis not. (x). Neque vel consilium, vel omnem laudem scholarum instituendarum Papis aut Clericis tribuere licet. Nota sunt multorum, vel Principum vel Magnatum de hac re merita: ut recentiores silentio transeamus, quis nescit, quantum *Caroli Magni, R. Alfredi* etc. curæ debeant literæ? Sæpeque Papæ, nihil ipsi de talibus solliciti, suam auctoritatem immiscendo, hoc tantum egerunt, ut suæ rei nihil inde periculi immineret. Hinc videmus, ut artibus iis ex quibus minus sibi periculi metuendum est (e), ex. gr. Medicinæ, scientiis Mathematicis, Oeconomiam, Historiam Naturalem,

C 2

stu-

„ma, och har i verket kommit, ifrån uplyftare tankefätt”. Vid. Generos. *A ROSENSTEIN Afhandl. om Uplysningen.* p. 75. De patrocínio Acad. Parisiensis exhibitó cfr. *CRÉVIER* l. c. p. 343 sqq. & p. 360 sqq. Sed Monachi tamen Papæ cariores erant, & contra Academiam favorem invenerunt. Vid. etiam *HEUMANN.* l. c. §. 36 pag. 120 sq.

(e) Sic tolerari potuit Poësis & ars Oratoria, modo in laudibus rerum Hierarchiæ inimicarum aut aliis argumentis suspiciosís, non versarentur, nec tela sua contra illam vertere auderent. Neque quidquam per se nocent tyrannidi Papparum artes elegantiores, Pictura, Statuaria, Musica, Architectura etc.: unde facile apparet, cur has

studio Antiquitatum Græcarum, Romanarumque etc. nulla opposuerunt impedimenta; ita Philosophiam contra fanio-rem, cum Theoreticam, tum Practicam, prudenter vinculis constrinxisse arctissimis: eo, quod a nulla literarum parte plus metuendum sit dominationi cuiunque precariæ iniquæ & impotenti, maxime vero, fanaticismo & superstitioni. Non est itaque mirandum, si hujus lucem Pontifices summo studio ex oculis servorum suorum submotam cupierunt, omnemque contra moverunt lapidem, ut Philosophia Scholastica in Scholis regnaret atque floreret: quam igitur, non tantum in Monasteriis, sed in Academiis quoque plerisque regionum, devotum Papæ obsequium exhibentium, horridam suam formam retinuisse, & strenue contra rationis cultioris impetus adhuc pugnare, constat.

§. V.

fuffocare numquam conati sint cum satellitibus suis Pontifices Romani; sed potius foverint & excitaverint, utpote ad splendorem quoque Religionis externum augendum felicissime adhibendas, in qua re salus Ecclesiæ Romanæ plurimum versatur. Quare mirum non est, si magnos eæ fautores in Prælatibus Ecclesiæ, atque ipsis etiam Pontificibus, inventisse atque in Italia maximi adhuc fieri, reperiantur.

(f) Nec tamen illis omnibus plena permissa fuit libertas. Quis enim turpia illa anathemata ignorat, quibus contra Astronomos motum Telluris circa Solem asserentes, sævierunt Papæ? Pudetque dicere, nostro adhuc Seculo aperte mentiri de hac re coactos esse Astronomos Italos, Monachos, & imprimis Jesuitas: exemplo possunt esse Dni. LE SEUR & JACQUIER, qui in suis ad NEWTONI *Principia Philosophiæ Naturalis Mathematica* Commentariis, se eandem

§. V.

Deinde negare haud licet, amorem literarum ita animos quorundam Pontificum cepisse, ut contra veras dominationis suæ rationes, nimis illis indulserint. In primis hoc facilius contingere potuit, antequam molesta ipsos docuisset experientia, quantam cladem auctoritati suæ imperioque, illas fovendo, ipsi paravissent. Itaque post exortam Religionis Reformationem, longe diligentiore[m] severiore[m]que in bonas literas opprimendas, quam ante illud inflictum sibi vulnus, Papas Romanos curam adhibuisse, Jesuitarum inprimis industria adjutos, in confesso est. Unde literarum lucem in Lusitania, Hispania, Belgio, multis Italiæ & Germaniæ locis etc. post medium seculi XVI vehementer decrevissent, nemo nescit. Per restaurationem Literaturæ veteris classicæ, ingeniumque humanum ejus studio excitatum & exercitatum, plura menti indies speculationum & meditationum argumenta sese obtulerunt: cumque semel impetus animi, quasi longius prospiciendi, inde natus esset, difficile fuit illum intra præscriptos continere limites. Felici igitur fortuna contigit, ut Hierarchæ eventum studii sui, quod ad Græcas Latinasque literas excitandas contulerunt, ipsi non præviderent: sane enim liberali-

ac Patres (idiotas, vel harum rerum plane ignaros contra saniorum omnium Mathematicorum consensum,) de hac quæstione fovere sententiam, asseverant. Neque Scientia Physica, utpote superstitioni minus favens, de plena libertate sibi ubique gratulari potest.

ralitatem suam multi cohibuissent, si præsentire vel suspicari potuissent, fundamenta potentiæ suæ, quam omnis periculi putabant expertem, iis quassatum iri, lucemque illis promovendis diffusam, hominibus audaciam addituram res atque jura examinandi, quæ diu sacra adeo habuerant, ut de iis vel dubia proponere, vel diquisitionem instituere nefas, omnino ducerent.
